



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 11. Leges Ecclesiæ faventes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

§. XI.

Leges Ecclesie faventes.

Sæculum VI.
A. C. 528.

Ad Justiniani initia refertur Constitutio, *L. 5. Cod. de*
 quæ ipsius Fidei Professionem de Tri- *Sum. Trin.*
 nitate & Incarnatione complectitur. Ea *Sup. XXXI*
 quidem integre Orthodoxa est; notari ta- *S. 48.*
 men potest, quod exprimat, unum ex Tri-
 nitate Carnem assumisse, quamvis olim
 Scythiæ Monachos hujus Propositionis
 Defensores damnasset. Hæreses omnes
 speciatim autem Nestorium, Eutychem &
 Apollinarem anathematizat. Edicit et-
 iam omnes illos pœnis, quæ in Hæreti-
 cos legibus statutæ sunt, subjici, quos
 huic Fidei Confessioni contraria credere
 Episcopi deprehenderint.

Jam anno Regni primo duas Consti- *L. 43. Cod.*
 tutiones circa Episcopos edidit. Prima *de Episc.*
 ad Epiphanium Patriarcham Constanti-
 nopolitanum directæ, & decimo Calend.
 Mart. Justiniano secundo Consule id est
 21. Febr. anno 528. data. In illa de Re-
 sidentia Episcoporum agitur, eorumque,
 quæ Imperator præcipit, Summa hæc
 est:

Episcoporum absentia causa est, quod in
Ecclesiis ipsorum officium Divinum negli-
gentius peragatur, negotia tractentur
somniculose, & Ecclesie redditus Episco-
porum itineri, eorumque cum Clericis &
Domesticis, qui ipsos comitantur, in urbe

D d 5

ista

Sæculum VI. A. C. 528. *ista commorationi impendantur, ita ut saepe contingat, ipsos cogi ad pecunias mutuas cum onere præstandæ usuræ, & magno Ecclesiarum damno, accipiendas. Itaque præcipimus tibi, ut omnibus Metropolitibus, qui tibi subjiciuntur, notum facias, ne ipsi aut Episcopi ex Provinciis sibi subjectis Ecclesias suas sine Custode relinquunt, & suo arbitrio in hanc Civitatem veniant, nisi speciaticim a nobis vocati fuerint. Quodcunque supervenerit negotium, nulla tamen recipietur excusatio. Si quid occurrerit, quod eos cogat Clementiam nostram implorare, mittant unum duosve Clericos, qui vel ipsi in conspectum nostrum veniant, vel te Patrono utantur. Promittimus, hac via ipsos, quod petitura sunt, obtenturos. Si vero judicaverimus, necessarium esse, ut ipsi Episcopi in hanc Civitatem veniant, eos venire jubebimus. Si quis contra hoc nostrum mandatum egerit, Nostram Indignationem incurret, & si Metropolita est, a te excommunicabitur, si Episcopus Suffraganeus a Metropolita suo Communionem excludetur. Non credidimus utile esse, si Multam pecuniæ quoque transgressoribus injungeremus, ne damnum pecuniæ forte Ecclesiæ ferendum sit.*

L. 24. Cod. de Episc.

Lex altera ad Atarbum Præfectum Prætorio directâ, prima die Martii eodem anno 528. data est: Si Sedes Episcopalis vacaverit, illius urbis incolæ scripto Decreto

Decreto viros tres nominabunt, quorum ^{Sæculum VI.} vitam & optimos mores omnes noverint; A. C. 528.
 ex his dignissimus eligatur. Qui Episcopus ordinandus erit, nec liberos habeat nec nepotes, ne cura Rei familiaris ipsius mentem a Dei Servitio & Ecclesiæ negotiis avertat, & ipse Bona ad pauperes alendos donata in suos profundat. Episcopi nec testamento nec Donatione aut cujuscunque alterius generis alienatione de Bonis post susceptum Episcopatum acquisitis decernere possint, nisi de iis tantum, quæ ipsis hæreditate Patris, Matris, Patruï aut Fratris obvenerint. Reliqua omnia Ecclesiæ adjudicentur, quippe certissimum est, illos qui Episcopis Bona sua donant, in ipsis rationem Sacerdotii considerare.

Post obitum Episcoporum æconomi Bonorum quæ reliquerint rationem reddent. Oeconomi autem maturo examine præcedente constituentur, annis singulis rationem Episcopo reddent, & damnum Ecclesiæ illatum resarcient. Si, antequam rationem reddiderint, moriantur, Hæredes ipsorum reddere teneantur. Hospitiorum Curatoribus, sicut Episcopis, in ea, quæ ^{Leges.} post munus susceptum, acquisiverint, libera potestas non sit, sed ab ipsis acquisita omnia ad Hospitia pertinebunt, ad quorum emolumenta a Fidelibus donantur, cum omnes certissime credant, Curatores in hæc pia opera etiam Bona sua propria impendere.

Sæculum VI. *dere.* Hospitiorum cura tunc temporis
 A. C. 528. erat munus Ecclesiasticum, quod non ni-
 si Presbyteris aut Diaconis explorata
 charitatis committebatur. Ulterius Lex
 prosequitur in hunc modum: *Quod ex
 Reditibus Hospitiorum supererit, ad no-
 vos Reditus acquirendos impendatur, ut
 Fideles ad conferendum magis excitentur.
 Si Curator hoc munus abdicet, Successor
 rationem reddi petat, cujus Conscientiam
 oneramus.*

*Secundum Sacros Canones Episcopi,
 Chorepiscopi, Visitatores, Presbyteri &
 omnes ceteri Clerici gratis ordinentur.
 Nihil etiam detur ad obtinendum æcono-
 mi, Defensoris Ecclesiæ, aut Curatoris
 Hospitii officium. Qui hac ex causa ali-
 quid dederit, aut acceperit, deponatur, &
 officio suo privetur. Omnes Clerici in om-
 nibus Ecclesiis Officium Nocturnum, Ma-
 tutinum & Vespertinum cantabunt. Id
 est, ut hodie loqui solemus, Matutinos,
 Laudes & Vesperas, nam Horæ minores
 necdum publice recitabantur. Ulterius
 dicitur: *non satis sit ipsis, Ecclesiæ fru-
 ges consumere, & Clericorum Nomen ge-
 rere, functiones autem muneris omittere;
 absurdum quippe est, quod constituent Mer-
 cenarios, qui ipsorum vices subeant &
 cantent, dum multi Laici sponte sua &
 Religionis amore Laudi Divinæ interfunt.
 Episcopo, duobus Archipresbyteris, Archon-*
 te*

ti seu Exarchæ & uniuscujusque Ecclesiæ Syndico præcipimus, ut hæc a Clericis observari curent, illosque Clericorum ex ordine ejiciant, qui raro Officiis Divinis intersunt, secus enim Fundatorum voluntati non satisfaceret. Omnibus cujuscunque conditionis hominibus licentiam reos denunciandi facimus.

Sæculum VI.
A. C. 528.

In Italia sub Nomine novi Regis Athalarici promulgata Lex fuit, quæ Clericis Romanis favebat. In ea more antiquo confirmato dicit Rex: *Si quis contra Ecclesiæ Romanæ Clericum Actionem movere vult, primo Papam adeat, qui vel ipse judicabit, vel Judices delegabit. Si Actori non fuerit satisfactum, ad Judicem Sæcularem convertetur, postquam probaverit, Justitiam a Papa sibi fuisse denegatam. Qui vero ad Nos venerit contempta Sacræ Sedis Auctoritate causa cadet, & multam decem Librarum auri pendet, quas Papa manibus suis in pauperes distribuet.* Hæc illa ætate Papæ Jurisdictio in Clericos fuit Romæ in Causis profanis, si Clericus in Judicio reus esset, poteratque ab eo ad Judicem Sæcularem appellari. (*)

ap. Cass.
VIII. var.
c. 24.

§. XII.

(*) Hæc placent nostro Protestanti, qui Annotatione addita dicit: *Es ist aber wohl zu merken, daß sich dieselbe (Verordnung) blos auf*